

Unde et qua haec intraverunt in memoriam meam? Nescio quomodo: nam cum ea didici, non credidi alieno cordi, sed in meo recognovi, et vera esse adprobavi, et commendavi ei, tamquam reponens, unde proferrem, cum vellem. Ibi ergo erant, et ante quam ea didicissem, sed in memoria non erant. Ubi ergo? Aut quare cum dicerentur, agnovi, et dixi: ita est, verum est; nisi quia jam erant in memoria, sed tam remota et retrusa, quasi in caveis abditioribus, ut nisi admonente aliquo eruerentur, ea fortasse cogitare non possem?

CAP. XI. QUID SIT DISCERE, ET COGITARE.

Quocirca invenimus, nihil esse aliud discere ista, quorum non per sensus haurimus imagines, sed sine imaginibus, sicuti sunt, per se ipsa intus cernimus; nisi ea, quae passim atque indisposite memoria continebat, cogitando quasi colligere, atque animadvertendo curare, ut tamquam ad manum posita in ipsa memoria, ubi sparsa prius et neglecta latitabant, jam familiari intentioni facile occurrant. Et quam multa hujusmodi gestat memoria mea, quae jam inventa sunt, et sicut dixi, quasi ad manum posita, quae didicisse et nosse dicimur! Quae si modestis temporum intervallis recolere desivero, ita rursus demerguntur, et quasi in remotiora penetralia dilabuntur, ut denuo velut nova excogitanda sint indidem iterum (neque enim est alia regio eorum), et cogenda rursus, ut sciri possint, id est, velut ex quadam dispersione colligenda; unde dictum est cogitare. Nam cogo et cogito sic est, ut ago et agito, facio et factito. Verum tamen sibi animus hoc verbum proprie vindicavit, ut non quod alibi, sed quod in animo colligitur, id est cogitur, cogitari proprie jam dicatur.

CAP. XII. DE RERUM MATHEMATICARUM MEMORIA.

Item continet memoria numerorum dimensionumque rationes et leges innumerabiles, quarum nullam corporis